

ACTA
ORDINIS SERVORUM
BEATAE MARIAE VIRGINIS

REV. MI P. MAG. ALFONSI M. MONTÀ
PRIORIS GENERALIS
AUCTORITATE ET IUSSU EDITA

Vol. XXV (1965)



ROMAE
CURIA GENERALIS ORDINIS SERVORUM B. M. V.
PIAZZA S. MARCELLO AL CORSO, 5

De participatione Ordinis nostri laboribus Concilii Oecumenici Vaticani Secundi.

Opera Ordinis nostri laboribus Oecumenicae Synodi collata primum inita est cum ipsum Concilium coeptum est apparari. Tunc, praesertim Facultas Theologica « Marianum » de Urbe, a qua, sicut ab omnibus Sacrorum Studiorum Athenaeis et Facultatibus, consilia et animadversiones exquisita fuerant, post iteratos diurnosque Professorum conventus ac disceptationes, plures propositiones Consilio Praesidentiae exhibuit.

Interim, Rev.mus P. Mag. Gabriel M. Roschini, tunc Facultatis Praeses, inter Membra Pontificiae Commissionis de Studiis et Seminariis ad apparandum Concilium, et Rev.dus P. Bacc. Gerardus M. Corr inter Membra Secretariatus « ad unitatem Christianorum fovendam », adscripti sunt.¹

Inito autem Concilio, Primae eiusdem Sessioni interfuerunt: Rev.mus P. Mag. Alfonsus M. Montà, tunc Prior Generalis Ordinis nostri; Exc.mi DD.ni Frr. Atilius Constantinus M. Barneschi, Episcopus Manzinensis; Caesar Gerardus M. Vielmo, tunc Vicarius Apostolicus Aysenensis; Anto-

¹ Cfr. *Acta O.S.M.* 19 (1960) p. 111.

nus M. Michelato, Episcopus Archelaidensis; et duo memorati Patres Periti. Rev.dus P. Corr munus quoque obtinuit interpretis pro Observatoribus apud Officia Secretariae Generalis Concilii. Quod quidem munus toto Concilii tempore explevit. Primae Concilii Sessioni defuit Praelatus Acrensis, cum tunc temporis officium vacaret ob inopinatam mortem D.ni Fr. Iulii M. Mattioli.

Secundae vero Sessioni interfuerunt iidem (exceptione facta pro Vicario Apostolico Aysenensi, qui interim ex inopinato vita functus erat); quibus etiam adiecti sunt: Rev.mi D.ni Frr. Iucundus M. Grotti, Praelatus Acrensis electus; Eduinus M. Kinch, Praefectus Apostolicus Ingwavu-mensis electus.

In tertia Sessione, iisdem ac supra iunctus est Exc.mus D.nus Fr. Savinus Bernardus M. Cazzaro, Vicarius Apostolicus Aysenensis electus. Exc.mus vero D.nus Fr. Andreas Hadrianus M. Cimichella, Episcopus auxiliaris Archiepiscopi Marianopolitani electus, pluribus archidioecesis negotiis impeditus fuit.

Quartae denique Sessioni interfuit Rev.mus P. Iosephus M. Loftus, Prior Generalis Ordinis nostri electus, et omnes Episcopi, Praelati ac Periti ut supra (exceptione facta pro Episcopo Barneschi qui interim coelo migraverat).

In omnibus autem Sessionibus Patres Conciliares ex Ordine nostro, recepta quoque cooperatione quorundam Professorum Facultatis Theologicae « Marianum » aliorumque Patrum, sive in scriptis sive oretenus animadversiones, modos atque consilia instituerunt, praesertim cum actum est de Sacra Liturgia, de Ecclesia, de Beata Maria Virgine atque de Missionibus.

Die vero 15 Decembris 1965, in Sollemnitate Beatae Virginis Perdolentis, in Aula Concilii, adstante quoque Summo Pontifice Paulo Pp. VI, Sacrum fecit Exc.mus D.nus Fr. Savinus Bernardus M. Cazzaro, Vicarius Apostolicus Aysenensis.

Toto autem Concilii Oecumenici tempore, pluries in conventum S. Marcelli de Urbe invitati sunt Em.mi Cardinales, Episcopi ac Praefecti Apostolici ex nationibus et regionibus Angliae, Hiberniae, Italiae, Australiae, Africae Meridionalis, Americae Septentrionalis, Chiliae et Brasiliae. Quidam etiam Observatores peramanter recepti fuerunt.

ACTA ORDINIS SERVORUM BEATAE MARIAE VIRGINIS

« Providens Dei misericordia... septem e Florentina nobilitate viros suscitavit, qui in charitate coniuncti, praeclarum fraternae dilectionis praeberent exemplum ».

(Ex Brev. Rom., in festo SS. VII PP. Fundat.).



R O M A E

CURIA GENERALIS ORDINIS SERVORUM B. M. V.
PIAZZA S. MARCELLO AL CORSO, 5

Curia Generalis

NOMINATIONES CONCILIUM OECUMENICUM SPECTANTES

Die 23 Augusti 1960, a Summo Pontifice Ioanne XXIII inter Membra Pontificiae Commissionis de Studiis et Seminariis ad apparandum Concilium Oecumenicum Vaticanum alterum adscriptus est Rev. mus P. Mag. Gabriel M. Roschini, Procurator Generalis Ordinis nostri.

Item a Summo Pontifice Ioanne XXIII inter Membra Secretariatus pro Unitate Christianorum ad apparandum Concilium Oecumenicum Vaticanum alterum adscriptus est R.P. Bacc. Gerardus M. Corr, filius Provinciae Anglicae.